



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXXXI. Argumentum. Item demonstratur, quibus, & quot rationibus Parochus obligatus sit prædicare populo suo Verbum Dei festivis diebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

quæ opera bona effugisset infernum, ait: *Quintum est abstinentia, quam assumpsi mihi, per quam deleta est illa longa fessio, quam habui in mensa, & loquacitas, & excessus. d. Revel. Extrav. cap. 56.*

Decimo. Tandem quia mysticam habent significationem jejunia Quadragesimæ, ac Quatuor temporum; sunt enim Decima totius anni, quam solvimus Domino, ut legitur in S. Thom. 2. 2. d. quæst. 147. art. 5. c. Quadragesima 16. de Conf. dist. 5, & Magrius Hierolexic. in d. Verb. Jejunium.

D E C I S I O CXXXI.

A R G U M E N T U M.

Item demonstratur, quibus, & quot rationibus Parochus obligatus sit prædicare populo suo Verbum Dei festivis diebus?

S U M M A R I U M.

1. Prædicare Verbum Dei sub qua forma Parochus teneatur?
2. Parochi de Præcepto tenentur prædicare Verbum Dei, ex Concil. Trid. & Sacris Canonibus hic relatis.
3. Parochi Patavini obligantur ad prædicandum ex Decreto Emin. Card. Barbadii Episcopi.
4. Parochi ex pacto tenentur prædicare suis populis.
5. Parochi salvatio difficilis ex S. Joan. Chrysof. & S. Isidoro.
6. Consuetudo non prædicandi an excuset Parochos?
7. Parochorum prædicantium meritum, & præmium.
8. Temporalia præmia Parochorum prædicantium Verbum Dei.
9. Verbum Dei pabulum Animarum.

1 PRæmittendum est. Prædicationis vocabulo; Curiam Patavinam non intendere Prædicationem formalem, & declamatoriam, sed explanationem Sacri Evangelii, ac legis Divinæ, per quam absque verborum lenocinio populus erudiatur, & edoceatur ea, quæ ad salutem scire tenetur. Igitur ad hanc habendam prout in casu, relata fuerunt sequentes rationes.

2 Prima, quia ad eam obligati sunt Parochi ex Præcepto Divino. Ita testatur Sac. Concil. Trident. sess. 23. de Refor. cap. 1. ubi ait: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pacere, &c.*

Secunda. Quia extat Præceptum Apostolorum: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei. 1. Petr. 5. 2. & Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. 2. Tim. 4.*

Tertia. Quia idem statutum est per Sacros Canones, cap. *Quod Dei timorem. 5. ibi Ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium exercere. De Statu Monach. & in Clem. Dudum. 5. huiusmodi de Sepult. ibi, Parochiales Ecclesie, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere Verbum Dei.*

Quarta: Quia à Sacro Tridentino Concilio renovatur, & strictè injungitur hoc officium sess. 5. de refor. cap. 2. sess. 22. cap. 8. de Sacrif. Misse, d. sess. 23. cap. 1. de Refor. & sess. 24. de Refor.

cap. 4. & cap. 7. in quibus omnibus capitulis præcipitur Parochis, ut prædicent, & doceant populum fidem Catholicam, & legem divinam Dominicis, ac aliis festis diebus.

Quinta. Quia idem mandat Synodus Patavina Par. 1. cap. 7. his verbis: *Parochi igitur, curamque animarum exercentes omnibus Dominicis, ac solennibus diebus hoc concionandi munere inter Missarum solennia, ex Concilii Tridentini Decreto fungantur.*

Sexta. Quia extat Præceptum Eminentissimi Nostri Præfulis, innovatum in Decretis Congregationis Generalis Parochorum, habitæ coram Eminentia sua die 26. Septembris 1684. ubi num. 1. jubet; quod *In Verbi Dei prædicatione, ac Doctrina Christiana explanatione omnes Parochi sint ferventes.*

Septima. Quia, ut habetur in Epistola Pastoralis ejusdem Eminentissimi nostri Præfulis diei 30. Julii 1681. Parochi ex contractu inito in acceptatione Beneficii se ipsos obligarunt, & sponderunt prædicare, juxta illud: *Fili mi, si spondidisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es Verbis oristui. Prov. 6. 1.* Quapropter Christus Dominus exiget à Parochis rationem prædicationis ex justitia tanquam extraneus, idest creditor; nam, ut ait S. Thom. in Epist. ad Hebr. capitul. 13. lect. 3. *Dicitur Christus extraneus, quia amicus est in sponcione, sed erit extraneus in exigenda ratione.*

Octava, ob illam tremendam Sententiam S. Joan. Chrysof. *Hom. 34. ad Heb. Miror, anferri possit, ut aliquis ex Rectores animarum sit salvus? Nam Omnium, quos regunt, Mulierum, & Virorum, & Puerorum ab eis reddenda est ratio; ut confideravit Eminent. D. Præful. Noster in alia Epistola sua diei 12. Martii 1681.*

Nona. Item ob grave illud dictum S. Isidori libr. 3. *Sentent. Sacerdotes curam gerentes animarum pro populorum iniquitate damnantur. si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccatores non corrigant, testante Domino ad Prophetam, Speculatorem dedi te domni Israel: si non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua mala, ille in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech. 3. 17.*

Decima. Quia Parochos Civitatis non prædicantes ex motivo desertudinis, non esse excusandos à peccato mortali ait Bonacina in tertium Præceptum Decal. dist. 5. quæst. Unic. punct. 2. num. 29. juxta illud *Dispensatio est nobis celestis Seminis injuncta: Væ! si non sparserimus: Væ! si tacuerimus: cap. Dispensatio. 5. dist. 43.*

Undecima. Quia è contra Parochis prædicantibus, & Verbum Dei suis ovis sollicitè proponentibus æterna gloria, ac præmium magnum in Cælo dabitur. *Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Ezech. dist. cap. 3. 19. Siquidem: Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12. 4. Et Qui fecerit, ac docerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum. Matth. 5.*

Duodecima. Ob remunerationem spirituales, ac temporales, quam DEUS elargitur etiam in hac vita Parochis explicantibus legem suam, eamque populum docentibus, ut legitur in cap. Revertimini. 16. quæst. 1. ibi *Qui scripture Sanctæ alimenta in Eccle-*

Ecclesia populis ministraverit, statim aperientur super eum cataractae Caeli, & effundetur pluvia spiritalis; & mandavit Deus nubibus suis, ut pluant super eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfuerit.

Tertiadecima. Quia prædicatio habet tantam Excellentiam, quantam gratia Miraculorum, & suscitatio mortuorum. *cap. Olim. 8. q. 8.*

Quartadecima. Quia, ut scribit Pax Jordanus *lib. 6. tit. 1. num. 7.* Inter cætera, quæ ad salutem populi spectant, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spiritali cibo pascitur, & nutritur; eò quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *cap. Inter cætera de Offic. Ord. ubi DD. Et Illustr. Meraviglia Ammaestram. del Clero Am. 12.*

DECISIO CXXXII.

ARGUMENTUM.

Recensetur, quæ sit vera methodus prædicandi fructuosè.

SUMMARIUM.

1. Rhetorica Ecclesiastica Cardin. Valerii commendata.
2. Parochorum fructuosa prædicatio quatuor requirit, & Quæ?
3. Qualitates bonorum Parochorum.
4. Parochi de quibus materiis debeant predicare?
5. Auditorum qualitates attendende à Prædicatoribus.
6. Prædicatio Parochorum in quot partes dividenda.

A Pluribus plura dicta sunt; sed quæ hic referenda veniunt, duo existunt. Unum genericum; videlicet, fructuosè prædicari ab illis Parochis, à quibus & cognoscitur, & servatur libellus Rhetoricæ Ecclesiasticæ Emin. Cardinalis Augustini Valerii olim Episcopi Veronæ, & Visitatoris Apostolici hujus Civitatis, ac Diocesis Patavinæ, impressus Mediolani anno 1574. & subinde oëties typis recusus, ac novissimè anno 1672. Patavii in Typographia Matthæi de Cadornis.

Alterum Speciale; hoc est, ad fructuosas prædicationes populis faciendas per Parochos, quatuor ab eis esse observanda. Primum quoad se ipsos; Secundum quoad materiam, Tertium quoad audientes. Quartum quoad modum loquendi, & prædicandi.

Quoad se ipsos debent habere quatuor: Bonam conscientiam, *cap. Quid est hoc, & cap. Cum exaudiero, dist. 50.* Bonam conversationem, & famam, *cap. Qualis 8. quest. 1. Studium, cap. Si quis vult, dist. 36.* Et Orationem, juxta illud: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, Jac. 1. 5.* Nam, ut scribit prælibatus Card. Valerius Rhetor, *Eccel. libr. 1. capt. 5. in fin.* Precibus adjungendum est studium, adjungenda est diligentia, & assidua lectio Sacrorum Librorum, sine qua qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, accidunt sæpè, ut in varios errores, & in confusionem incidant.

Quoad Materiam; quinque sunt, circa quæ Parochi sermocerari debent ad populum, videlicet.

1. Circa Credenda; & sunt articuli fidei Catholicæ, & Sacramenta.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Circa Speranda; & hæc est æterna vita, & gloria cælestis.

Circa Timenda; & sunt Judicium extremum, & ignis æternus infernalis.

Circa vitanda; & sunt transgressiones Præceptorum Dei, Ecclesiæ, & superiorum, ac peccata omnia capitalia.

Et Circa Agenda; & sunt quæcunque ordinantur à lege Divina, Naturali, Ecclesiastica, & Civili; Consilia Evangelica, quæ omnia eleganter demonstrantur in suprad. Rhetor. *Eccel. d. lib. 1. à cap. 5. usque ad cap. 18.*

Quoad Audientes, quatuor diversa genera personarum sunt distinguenda; *A Nativa*, ut Viri & mulieres, Senes, & Juvenes, & Pueri. *A disciplina*, ut Viri docti, vel rudes; studiosi, vel artifices. *A qualitate*, ut divites, vel pauperes, in adversitate, vel in prosperitate. Et *A conditione*, ut nobiles vel populares, Patritii, vel plebei; & ad omnium horum capacitatem debet esse ordinatus sermo, ut sit fructuosus, *cap. Oportet. 8. quest. 1.* prout docet d. Rhetor. *Eccel. d. lib. 1. à cap. 23. usque ad 48. & lib. 2. à cap. 15. usque ad 42.* ubi argumenta adhibenda pro effectibus commovendis.

Quoad modum tandem loquendi, ac prædicandi fructuosè, sermo, seu concio debet habere quatuor partes, Exordium, Propositionem, Probationem, & Epilogum, *d. Rhetor. Eccel. lib. 3. per tot.* Et licet aliquando omitti possit Exordium, & Epilogus, nunquam tamen Propositio, & Probatio; quas circa duas partes curare debet Parochus eloqui suavi, ac grata actione, voce, ac sono convenienti, utendo figuris, & argumentis, ac autoritatibus propriis, juxta Præcepta tradita in prædicto Libello Rhetor. *Eccel. toto libro tertio*, quorum præcipuum esse debet brevitatis Sermonis, seu, ut melius dicam, evitatio prolixitatis, quæ tædio esse solet auditoribus, & fructu impedit in eorum mentibus.

DECISIO CXXXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sit finis ultimus hominis? Undè procedat cæcitas humana, quæ de ultimo Fine parum, aut nihil curat? Quæ sint damna hujus cæcitatis? Quæ remedia?

SUMMARIUM.

1. Finis, ob quem creatus est homo, duplex.
2. Deus est finis ultimus hominum.
3. Exercitiorum S. Ignatii principale fundamentum.
4. Antonius Maria Cortivus de Sanctis Nob. Patavinus Fundator Congreg. Oratorii de Padua.
5. Cæcitatibus Intellectus humani damna duo.
6. Finis ultimus hominis prædicandus à Parochis.
7. Prædicationis Parochorum utilitas.
8. Prædicare debent Parochi Patavini juxta Epistolam Pastoralem Emin. Præfulis diei 12. Martii 1681.

Dixere. Quod sicut duplex est vita hominis mortalis, & immortalis, seu præsens, & futura, ita duplex sit finis hominis, scilicet Unus vitæ præsentis, & mortalis, qui est mors; Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, que non revertuntur. *2. Reg. 14. 14.* Alter vitæ futuræ, & immortalis, scilicet æterna Beatitudo, quæ consistit in Visione Dei, ejusvè Essentiæ Divinæ. *S. Thom. in 1. 2. quest. 3. art. 8.* Igitur Fi-